

# THESES,

QUAS,

VI CONSTITUTIONUM ACADEMICARUM,

ET

APPROB. MAX. VENER. FACULT. THEOLOG.

STIPENDIARIIS PUBLICIS PRIVATISQUE EXAMINANDAS

EXHIBET

INSPECTOR H. T. STIPENDIARIORUM,

*Doct. ANDREAS JOH. LAGUS,*

*Theol. Profes. P. & O., Fac. Theol. h. a. Dec., Imp.  
de S:to Wolod. Ord:is in IV. Cl. Eques,*

RESPONDENTE

*JOHANNE EPHR. AHLSTEDT,*

*Stipendiario Publico, Satacundensi,*

In Auditorio Philosophico die XI Februarii MDCCCXXVI.

h. a. m. s.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.

## *Thesis I.*

**M**aximum Sapientiae pretium tribuunt varii Veteris Testamenti Libri, beatum praedicantes hominem, qui illam prehenderit (1 Reg. III: 9 sqq. Sal. Sap. VII sqq.); quippe cui ad dextram sit aevi longitudo, ad sinistram divitiae & gloria (Prov. III: 16 sq. VIII: 10 sqq.): quae vitam ei, qui eam habet, conservet (Eccl. VII: 11 sq.), iustitiae viam praecat, voluptateque sibi invigilantes referciat (Siracid. IV: 11 sqq., XV: 4 sq.), & quae inexhaustus sit homini thesaurus, omnes nempe virtutes edocens, atque sola hominem perfectum reddens, quo itaque qui utuntur cum Deo in amicitiam coeunt: Prov. VII: 14, 27. VIII: 7. IX: 6 (ex Verf. *Seb. Castellionis*). Huius Sapientiae caput & principium timorem Dei quidem ponunt (Prov. I: 7) vaporemque divinae potentiae, & sinceram gloriae Omnipotentis effluentiam (Sap. VII: 25) illam esse statuunt, at versus empirismum tamen vergere eandem, & σοφίαν ἀνθρώπων redolere, facile reperies.

Nihil vero, quod arte excogitatum sit atque effectum, quum contineat simplicissima Jesu Christi doctrina, potius ut Legatus Dei & Filius, quam Sapiens, in Codice Novi Testamenti sistitur Sanctissimus Salvator, & veritas, quam ipse proposuit, falsifica, non ut ex argumentationibus humanis conflata, neque verborum humanae sapientiae apparatu, ad persuadendum idoneo, egens consideratur, sed ut δύναμις Θεῶν (Rom. I: 16. I Cor. I: 4). Σοφίαν itaque τῆ ἀιώνος τέρε, quae in subtilibus, de principiis rerum, de anima mundi &c. disquisitionibus versaretur, rejiciens Ap. Paulus, veram sapientiam & intelligentiam illam esse ait, quae cernitur in vita, quae Christi cultores deceat: ut per omnis generis recte facta fructum scientiae nostrae ostendamus & crescamus in cognitione Dei: h. e. voluntatis ejus sanctissimae: Col. I: 10.

## *Thes. II.*

Quae quum ita sint, in errore tamen versatur gravissimo, qui putet, Rationem, ulumve ejus theoreticum vel practicum a Christianismi Statoribus susque deque haberi; quippe quum expresse doceant, datum nobis esse, quae conveniant explora-



re (Phil. I: 10), quid Domino gratum sit scrutari (Eph. V: 10), & quid Deus a nobis fieri velit, quid bonum sit, quid Deo acceptum, & homine, ad perfectionem adspirante, dignum, investigare (Rom. XII: 2). Neque despicientiam Rationis quandam prodit, quod 2 Cor. X: 5 dicat Apost. Paulus, *σε λογισμὸς καὶ φαίρειν καὶ πᾶν ὕψωμα ἐπαυρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τῆ Θεῶ, καὶ αἰχμαλωτίζειν πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοήν τῆ Χριστῶ.* Præeunte LUTHERO voc. νόημα h. l. per *förnuft* perperam reddit metaphrasis Bibliorum Svecana antiquior: rectius recentior (*Proföfverfättningen*) per *anslag*, ut & Fennica per *ajatuxet*. Sentum versiculi bene exprimit paraphrastica versio JO. CHR. DOEDERLEIN (Institutio Theologi Chr. §. 51): vi sua, inquit, profitetur (Paulus) *destrui sophisticarum artium munimenta, quibus oppugnare veritatem divinam auderent, & quasi triumphos agere de insidiis sapientum, fidei Christianæ structis.* Intelligit vero heic Apostolus philosophemata quorundam, sapientia sua turgentium, Ethnicorum & Judæorum insipida, qui deliramenta sua, mysterii plena fastidiique, salutiferæ Jesu doctrinæ immiscere, vel eidem opponere, impio conarentur nilu.

### Thef. III.

Quærat quis, quonam evenerit fato, ut, cum principio ultimo nitatur Protestantismus, in rebus ad Religionem pertinentibus unicum arbitrum, posthabita auctoritate humana, agnoscendum esse Scripturam Sacram, cujus sensus, facultatum ope homini a Summo rerum omnium Auctore concessarum, est eruendus, externam tamen admittat fidei formulam, ab hominibus, post longas altercationes, litteris consignatam, credendorum normam, per Secula, quæ nova philosophiæ, ut & aliarum scientiarum luce enituerunt, perennantem? Ut in universum est arctissimum inter noumena & phænomena commercium, pariter & nos sentimus, intime in nobis animam cum corpore cohærere. Ita definita est *illa* atque intra *hujus* cancellos coarctata, ut eorum, quæ genuerit, nihil, nisi physico-rum ope organorum, in medium proferre valeat. Mentis itaque productum quodcumque, vel nobilissimum, sicubi in mundo externo aliquid efficere poterit, cum corporeo quodam jungendum est, cui suam imprimet quasi imaginem, & quod  
e jus



ejus ergo in mundo sensibili fungitur vicibus. Intimo sensit pectore LUTHERUS, Religioni Sanctissimæ oppositam e diametro esse, quam, additamentorum apparatu alienorum, per secula undiquaque aggregato, hierarchia Papalis congesserat, molem politico theologicam: prosternendum esse spectrum immane, feracem malorum multi generis matrem, restituendamque in terris βασιλειαν τῆς Θεᾶς, intellexit. Quæ autem novi ordinis idea, in animo LUTHERI ejusque sociorum, pro ætate qua viverent, ejusque indole, mirum quantum clara exoriens, in mundum sensibilem non potuit aliter exire, neque in homines vim exserere, quam ut formam indueret sensibus subjectam, pro temporum ratione virorumque, quibus ortum debet, dijudicandam, ex monito Pauli (1 Thesl. V: 1), omnia nobis esse exploranda, & quod bonum est tenendum; cui quod non ita, ut a Protestantibus exspectare fas est, obtemperatum fuerit, a mira consuetudinis in hominem vi maximam partem derivandum esse suspicamur.

#### *Thef. IV.*

Primo obtutu licet videri possit, novam, qua Sanctissimam Religionem induit formam LUTHERUS, in aliud nil momentum habere nec potuisse, nec posse, ac in res, quæ ad ipsam Religionem pertineant: dogmata, cultum Dei ritusque externos & disciplinam ecclesiasticam. Aliter vero judicabit qui consideraverit, arctissimum in genere esse inter Rempublicam & Ecclesiam commercium. Ambas vero, longo jam ante Reformationem tempore, ita in Imperiis Europæ tantum non omnibus coaluisse, historia testatur, ut in multis confusæ cum politicis essent leges ecclesiasticæ. Tantam regiminis politici partem sibi arrogaverat Ecclesia, ut civitatem in civitate constituens, jusque sibi arrogans, vel Imperantes constituendi locoque movendi, absolutæ jugo Theocratix gentes Europæ submittere minaretur. Quo factum, ut conamina, quæ, ex consilio auctoris, ad mutanda solum placita Theologorum directæ essent, insignem in Republica parerent rerum conversionem, atque ut Reformatio, quæ initio nil esset, nisi ad libertatem in rebus ad Religionem pertinentibus regressio, eadem receptum ad libertatem politicam pararet, Imperantibus non minus ac subditis gratum & amabilem.

---